

August Varenius Daniel Bilderbeck

Disputatio Theologica, De Iustificatione Hominis Peccatoris Coram Deo, Adiuvante unico iustificationis Auctore Christo

Rostochii: Keilenbergius, 1680

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737567872>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 18.Sept. 1680

Varenius, Augustus

~~Bilderbeck, Dan.~~

57
QVOD DEUS BENE VERTAT!
DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE

JUSTIFICATIONE
HOMINIS PECCATORIS
CORAM DEO, 85

Adjuvante unico justificationis

Auctore Christo

Consensu Venerandæ Facultatis Theologicæ

PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO D.

Serenissimorum Duc. Mecklenburgicorum

Consistorii Assessore, Facultatis Theologicæ

Seniore atqve h. t. Decano

Ab Autore & Respondente

DANIELE Bilderbeck/

SVERINENSI.

In celeberrimæ ad Varnum Academiæ

AUDITORIO MAJORI

Publicè proposita

ad diem XII. Septembr.


horis

Ab 8. antemeridianis.

ROSTOCHII,

Typis Viduæ B. FRIDERICI KEILENBERGII,

Acad. Typogr. Anno 1689.



VIRIS
NOBILLISSIMIS PLURIMUM REVERENDO AMPLI-
SIS AC CONSULTISSIMIS DOMINIS
DNO. HENRICO Bilderbecken / J. U. D.
Judicii Provincialis, & Aulici Sverinensis Advocato
fulgidissimo Dno. Genitori suo.
DNO. CHRISTOPHORO Bilderbecken /
Præposito in Jeverstdorf, Conscientiosissimo.
DNO. LAURENTIO Bilderbecken / J. U. D.
Præclarissimo.

S.

Quam volueris hætenus impensè mihi, Venerande Genitor, plusquam Pater-
na in me Tua, quæ domi, quæ foris collata loquuntur beneficia, & quidem
cumulatissimè edisserunt, debere memet secundum Deum, Tibi me, qui ge-
neris tui, qui alicui liberaliter, qui optimis animam adveseri disciplinâ
jusseris, qui in Sanctissimo illo studio Theologico, quò sub sole nihil illustri-
us, versari consilio, ope, reque omni affatim suppeditata præsto mihi fueris. Ego pau-
ca hic loqui, imò ut verum fatear, nihil possum, etiam si Tullius interpres detur, quòd ceu
signum vel redhostimentum à gnito reddere tanto tuo quæam amor. In cujus felicem
memoriâ cum frequens revertor, nunquam non erubescere soleo quòd in agnoscendo
eo segnis etiamnum fuerim. Triennium ferè elabitur, ex quo à Patriis laribus absens,
nondum inveni, quo vel animi grati specimen exhibere, vel diligentia aliquem fructum
Tibi parens ferre potuissim. Sedulo requisita occasio me tandem excitavit ut conarer
velle gratus esse. En Tibi ea, quæ Disputata sunt sub Præsidio Magnifici Domini Varenii
Præceptoris æternum honorandi, ut exemplum grati Filii nunc offero. Vos quoque Ho-
noratissimos Dominos Patruos, ut Dulcissimo Fratri Genitori meo comites adjungerem
satis vehemens causa hæc fuit, quòd in me affectum & a morem tot luculentissimis do-
cumentis comprobatis, ut nisi devota mente publicè deprædicarem, ingratis animi
crimen neququam à me deprecari possem. Suspiciate itaque filialis amoris & obædien-
tia diu debitam tesseram: accipe, quòd devoto contendo voto serenâ fronte & ut donâ
parvæ Calabria Romana Magnificentiâ non spreverit, sic nec Vos exiguum hoc munusculum.
Jehovam precor, ut Vos in Familiæ Nostræ Decus, meique Patrocinium perpetuum, di-
utissimè non interruptâ incolumitate, in placidissimam usque Senectam, felicissimè flo-
rere & vivere jubeat.

Dabam à Rostochiana Academia d. XIX. Septembr. 1680.

Nobiliss: ac venerand: V. Amplit:

Devotissimus ac Obædientissimus

Filius ac Cliens

DANIEL Bilderbeck S.S. Theol. Stud,



J. N. J.
Dissertationis Theologicae
DE
JUSTIFICATIONE
Præmium.



Ureus planè & maximè commendatus locus exstat Michæ cap. ult. & in illo pulcherrimus idemqve iteratus inter Ecclesiam Israeliticam s. כְּנִשְׁתָּהּ רִישָׁהּ, prout expressit Chaldæus, & ipsum Messiam venturum, Dialogus, uuus quoad Ecclesiam in tenebris sedentem: sed in his ipsis de fide sua in DEUM Salvatorem, versus quem venturum speculatur, quemq; in carne manifestandum & sibi lapsæ in resurrectionem ponendum ipsa præstolatur, hoc ipso se contra letantem de statu præsentis obscuro adversariam, velut tunc in pudorem dandam, solata v. 7. 8. 9. 10. quoad Messiam autem respondentem, afflictamq; tot casibus Ecclesiam erigentem, & huic amplissima Pomeria in orbe gentium promittentem v. 11. 12. quæ quidem Ecclesiæ amplificatio conjuncta futura sit cum Hierosolymorum totiusq; regni & politia Judaica desolatione & excidio. v. 13. Alter quoad Ecclesiam Israeliticam (non excluso Propheta) precantem, ut Messias Pastor ille bonus ipse populum virgæ suæ pedove suo s. ipso Evangelii verbo pasceret, inq; læta copiosaq; pascua (quæ dabantur in Baschan & Gilead) duceret v. 14. quoad Messiam autem, populo s. Ecclesiæ Israeliticæ talem, cum admirandis suæ in carne manifestationis documentis & operibus verè divinis, illis quæ in Ægypto quondam circa Exodum Israelis edita, cumulationibus longè miraculis, conjunctam futuram pastoralem gregis curam ad stuporem usque & conversionem gentium promittentem v. 15. 16. 17. quæ omnia partim Eucharistico in thesi v. 18. partim fiduciali & வாப்பாசினம் epiphonemate in hypothesis clauduntur v. 19. 20. Ibicelebratur ex merâ DEI benignitate commune omnibus peccatoribus pœnitentibus Justificatio-

A

nis

nis beneficium, & quod in illius causâ meritoria consideratum datur
 admirandum *Justitia & misericordie* divina temperamentum, dum
 & *ira Dei* memoratur, & *benignitas* s. *gratia*, quâ illa, in negotio nostrâ
 salutis suavissimè temperetur, unde sit quod non retineat in æternum
 iram suam, quin potius quod condonet iniquitatem & prætereat defecti-
 ones (in quâ peccatorum præteritione, s. non imputatione & condona-
 tione formalis justificationis ratio ponenda) cum in hoc remissionis
 peccatorum beneficio vel maximè se exerat ἐπιγυνα κρᾶτος τῆς ἰσχύος
 Θεοῦ s. efficacissima virtus *Majestatis divine* Ephes. 1. 19. (ipsis infensis
 simis Christi adversariis inde Christo insultantibus, quumq; Servator
 dixisset Paralytico: *Confide fili remissa sunt tibi peccata tua!* blasphemiam
 intolerabilè id interpretantib9, inq; corde suo sic ratiocinantib9:
Quis est iste, qui ita loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata
nisi solus DEUS? Marci 2. 7. Luc. 5. 21. usq; adeo, ut divinam illam remit-
 tendi peccata potestatem, & autoritatem Servator, cui non ignota erant
 illa scribarum & Phariseorum blasphema enthymemata, *Miraculo*,
 soloq; verbo, cujus effectus in oculos omniù incurrebat, probaret, &
 ut scirent blasphemi illi blasphemiam interpretes, omninò *Filium ho-*
minis habere talem autoritatem & potestatem divinam remittendi pec-
 cata, Paralytico diceret: *Surge, attolle grabatum tuum & ambula ac abi dō-*
num tuam! Matth. 9. 6. 9. Propheta epiphonema illud præmittit:
Quis est DEUS (fortis) par tibi qui condonas iniquitatem? Et sic à thesi
 transit ad hypothesein sc. *Quia tu solus DEUS es, & solus peccata con-*
donas. Ergo & 1. *rursus nostri misereberis.* 2. *Subiges iniquitates nostras,*
 imo *omnium peccatorum resipiscientium peccata projicies in profundissi-*
imum maris v. 19. Atq; sic (quod Patheticâ Apostophâ in perf. 2. expri-
 mit) quod ex merâ benignitate Abrahamo promisisti, jam ex pacto ju-
 rato & sic ex fide (quandoquidem impossibile est Deum mentiri & fi-
 dem Dei per infidelitatem hominum irritam reddi, Hebr. 6. 18. & Rom.
 3. 2.) Jacobo præstabis, quam gratiam & benignitatem non solum Abra-
 hamo: sed & aliis Patriarchis partim novâ ejusdem *Promissionis* juratæ
 de *ἰσχυροῦ* s. *repetitione*, partim etiâ juramenti iteratione (prout Davi-
 di) & sic majoribus nostris juravisti inde à diebus *priscis* v. 20. Conf. de
 Abrahamo Gen. 22. 18. de Isaac Gen. 26. 4. de Jacobo Gen. 28. 14. de
 Davide

Davide Ps. 132. 11.) Apparet non aliud magicè celebrari beneficium,
 Messia temporibus (ad hæc enim commentatores prisca Hebræorum
 hanc Prophetiam referunt sc. כָּכָה הָגָל i. e. ubi venturus est Goel. s.
 redemptor item כְּהִגִּיעַ זְמַן הַגְּאֻלָּה i. e. ubi appropinquabit tempus li-
 berationis s. redemptionis) cumulatissimè Judæis & gentibus obventurū
 quàm quod alibi de Messia prædicat Isaias c. 53. 13. *Cognitione sui justifi-*
cabit justus ille servus meus multos, quod singulæ ferè voces in primis v.
 18. 19. 20. insinuant Ibi enim & in mentione *ira Dei*, simul illa *Dei ju-*
stitia, ex quâ nec remittit, nec remittere potest ullum peccatum nisi
 pro eo sit satisfactum, & in חֶפְצוֹ הַטוֹב s. *beneplacito benignitatis*, illa *mè-*
rè gratuita gratia, in utroq; adeò *redemptio facta per Jesum Christum*, vel-
 ut *ordinatum*, ut esset *placamentum per fidem in sanguine suo*, & per pec-
 catorum *condonationem*, in *profundissimum maris abjectionem*, ipsa quæ
 fit per imputationem justitiæ Christi, peccatorum remissio insinua-
 tur & describitur. Atq; de hac *gratuita* hominis peccatoris in Jesum
 Christum credentis *justificatione coram Deo*, qui planè articulus cen-
 trum Theologiæ est, ad quod omnia collimant, Sacer Oceanus, in
 quæ omnia confluunt, arca fidei quæ omnia servat tuta & illibata,
 pro captu aliquantulum acturus, sinè ulteriõri verborum ambage ad
 summè necessarij hujus articuli considerationè pressis quidem ma-
 gnorum Theologorum vestigiis me convertam. Antequam verò te-
 lam ejusdem exordiar, devota Deum precè, devotisqve suspiriis ve-
 neror, velit Sancti sui Spiritus radiis obtenebratam meam mentem
 gratiosè collustrare, collustratamq; in omnem veritatem clemen-
 tissimè ducere, quò vergat in nominis sui gloriam nostrumq; omni-
 tum salutare commodum & fidei firmamentum.

§. 1. Igitur in Nomine SACRO-SANCTÆ & INDIVIDUÆ TRINITA-
 TIS, de justificatione illâ veram sententiam paucis thesibus comple-
 xurus, rectè ordior ab ipso Nomine, ipsâ sic Onomatologia quæ absol-
 vitur 1. *Etymologia*. 2. *Homonymia*. 3. *Synonymia*.

§. 2. Ad Etymologiam quod attinet, justificandi & justificationis
 (velut non Latii, nedum ævi Augustei vel Ciceroniani: sed Ecclesiæ
 vocabula, non ex usu scriptorum Classicorum veterū apud quos fru-
 stra quærentur, quia non reperiuntur, non ex ipsa *Grammaticâ* (quæ

ex Paronymo, *Justus & faciendi* verbo constant) compositione, non ex illorum cum aliis paris compositionis vocabulorum, velut parallelorum *collatione* censenda, nedum, ut promiscue ad parem, quæ in aliis talis *compositionis* vocabulis, datur, *mutationem* & motum inferatur, & inde ex ipso statim etymo *modus formalis justificationis, hominis peccatoris coram DEO* constituatur vel determinetur: sed ex ipsâ Linguâ primavâ ipsoq; Prophetarum & Apostolorum jdiomate & codice authentico mensuranda & dijudicanda, indeq; de toto dogmate, ipsaq; sic ratione formali *justificationis* judicandū esse, res ipsa clamat.

§. 3. Atq; hic in ipso statim limine *Circulum* observare licet *Papisticum*, dum nunc argumentum ab *etymologia* vehementer urgent, nunc ubi urgentur, receptui canunt, neq; tam *ex vocum etymo*, quàm ex ipsis scripturæ dictis, in quibus vocabulum *justificandi* occurrit, de *significatione & sensu termini* pronunciari volunt. Scilicet in *etymo* Latino mirificè sese efferunt, & in illud curiosè inquirunt, varia illius significata colligunt, quoniam & quia à *justum faciendo* tam est vocabulum justificandi, quàm à *Calido faciendo, Calefaciendi, justitia* definitiones, ex *Platone* etiam & *Aristotele*, afferunt, & varias justitias inter se conferunt, ac inde ex ipsoq; adeò etymo sic inferunt: Prout verbis *calefacere & frige facere* talis significatur motus vel mutatio, quâ una qualitas (s. caloris s. frigoris) expellitur & contraria inducitur, à quâ novâ forma vel qualitate introductâ ipsoq; sic *termino ad quem* ipsa actio, vel subiectum quoq; denominetur: Ita planè habere mutationem illam, quæ fit in *justificatione* ubi adeò forma prior s. *injustitia* planè extirpetur vel tollatur, nova autem, quæ à DEO detur, & ab homine recipiatur, (quocunq; illa sive *gratie gratum facientis*, sive *novitatis* sive *sanctitatis*, sive *fidei, spei, Charitatis* nomine exprimatur) forma vel qualitas *justitiae* infundatur, à quâ justitiæ qualitate prout *nix à candore candida, ignis à calore calidus*, vel *Museum* quoq; à *Calefactione* vel *frige facti- one calidum* vel *frigidum*, denominatur: Ita denominatione pari intrinsecâ *justificati & justi coram DEO* simus & reputemur, sive illa *justitia*, à quâ denominatur *justificatio*, ponatur in *actibus*, sive in *habitu*, sic ut hic referatur *ad formam*, illi ad dispositiones, & causam de congruo meritoriam.

§. 4. Ubi

§. 4. Ubi autem remonstratur, quàm nullum ab etymologiâ Latinâ robor illis Papistarum argumentis insit, cum ne quidem in *mutationibus realibus*, nedum in *relativis* & *respectivis*, obtineat illa *unius forme* vel *qualitatis* expulsio & *novæ* succedentis *eidem subiecto inhaerentis* acquisitio vel introductio, nec talem mutationem inducat solidè illa *Grammatica*, qualis in termino *justificandi*, velut qui sit à *justo* *faciendo*, urgetur compositio, nec nisi meri *Paralogismi* à particulari ad universale sint, quando infertur: in quâdam mutatione, in *frige* *facti- one*, *calefacti- one*, *dealbatione*, una qualitas expellitur, altera inducitur, item in illâ unius *qualitatis* *expulsione*, alterius *inhæsuræ* *qualitatis* *introductione* consistit talis *mutationis forma*. E. idem fit in omnibus *mutationibus realibus* æquè ac *relativis*, sic ut terminum habeant formam aliquam vel qualitatem inhaerentem, illi expulsi succedentem, qualis e. c. in Paulo, quando in viâ Damascenâ ex vidente factus est cæcus, & dein Damasci ex cæco videns (conf. Act. 9. 8. 9. 17. 18) Et in quantum Iese pelagus absurdorū præcipitaret Papismus, *justificationis* etymon tale urgendo, cum non solum *Deus* dicatur, *justificare* *homines*: sed & *Homines DEUM* Luc. 7. 19. An etiam capax iniustitiæ, & talis *motus* s. *mutationis* ad *justitiam* *Deus* est? Absurdum absurdissimum: Conf. Rom. 3. 3. 4. 5. c. 9. 14. 15. Hebr. 6. 10. 18. 2. Tim. 2. 12. 13. Itâ & *magnificare* (voce æquè in sensu tali *Ecclesiasticâ* à magis, quàm Latinâ) & *glorificare* dicimur *Deum* (prout *anima Maria* dicitur *μεγαλύνειν τὸν κύριον* Luc. 1. 46. & *populus ἀβραάμ* miraculorum *Jesu*, memoratur *δοξάζειν Deum* *Israelis* Matth. 9. 8. c. 15. 31.) an verò sic, ut *Deum* ex *parvo* *magnum*, ex *inglorio* *gloriosum* *facerent*? Ita ergò illud, quod ex etymo Latinò à Papistis objicitur argumentum, abit in fumos.

§. 5. Ubi autè de *justificandi* vocabulo judicatur ex *Sacris*, sive *N. T.* (non exclusâ sive *purè Græcâ*, sive *Hellenistica* translatione *V. T.*) *Apostolorū*, sive *V. T. Prophetarū*, & ex illis remonstratur, talè, qualis in Latinâ voce fingitur *compositione* & *Physicam* *mutatione* isthic non dari, nec in Græco *δικαίω* (quod à voce *δικη* *juris* sc. & *justitiæ* vocabulo) de cujus suppositione forensi vid. Luc. 10. 29. c. 18. 14. & in oppositione verbi damnandi Matth. 12. 37. Rom. 5. 16. c. 8. 31. 34. nec in Hebræorum *קִרְיָהּ* (quod à *קָרָה* in *Kal.* *intransitivo* i. e. *justum esse* Job. 4. 7. c. 13. 18. Gen.

38. 26. in Pihel, non nisi de *Justificatione comparativâ* vel *respectivâ reflexâ*, quâ sc. sive maximè impius hoc ipso alterum minori gradu impium, sive hic in relatione ad illum, *comparativè*, se ipsum *justificat* reperitur, prout Jerem. 3. 11. Ezech. 16. 51. 52. sive, quâ quis talem excellenter *comparatam justitiam sibi arrogat*, vel alter in altero *talem refutat*, prout Jobi 32. 2. c. 33. 32. in Hiphil, *transitivum*, nec tamen in suppositione Papisticâ uspiam, in forensi autem significatione, *justum pronuntiandi, absolvendi*, familiarissimè & vel semper occurrit, conf. Exod. 23. 7. 2. Sam. 15. 4. Jes. 5. 27. c. 50. 8. Job. 27. 5. Ps. 82. 3. quod & de voce קִיְרָה loca, ubi eidem opponitur verbum damnandi ס. הַרְשִׁיעַ—evidenter probant Conf. Deut. 25. 1. Prov. 17. 15. 1. Reg. 8. 32. 2. Chron. 6. 23. Conf. jam locus unus qui in præsens κριτόμενον fuerit Jes. 53. 11. ex allegatis omnibus aliis explicandus, misso mox vocis etymo & illâ grammaticatione vel ex hac argumentis, quibus prolixè usi Salmeron, Belarminus, Costerus, Becanus, in contrarium currunt, & cum Andradio, quâ in re justificationis vis potissimum posita sit, non tam ex etymo (vel Hebrææ linguæ Idiotismo) quàm ex scriptura locis, quæ justificandi ordinem & rationem, ac justitiæ illius vim ac naturam tradant, accipiendum esse, clamant: imo Tapperus fateri coactus, vocabulū justificandi significare etiam justum declarare, pronuntiare. Frustra ergo illa etymi & Grammaticæ proprietatis ἐξιχνίασι in vocabulo nec Codicis authenticici, nec fori Latini, ex exemplis paris Latinæ Compositionis, urgetur, quæ etsi sibi constarent, frustra tamen conatus foret.

§. 6. Nostræ illi significationi termini *justificandi* scripturam favere, ex ipsâ locorum allegatorum & oppositionis evidentiam jam evicimus. Duo tamen loca ex canonicis, unum ex Dan. 12. 3. alterum ex Apocal. c. 22. 11. objicere & solent & sub aliquâ specie poterant, quibus & addunt duos, ex Apocryphis, Ecclesiastici c. 1. 17. c. 18. 22. Ceterū, ut ἐμνησκώς & per ὑστερον ωστερον respondeam: In ultimo versio corrupta, & aliter legitur in Græco, sc. *ne differo ad usq; mortem, justificari!* in priori ex Apocryphis, fatente Jansenio, locus notus est, & Græcè non reperitur. In loco Apocalyptico Codd. Græci vetusti legunt: ὁ δικαίος δικαιοσύνην ποιήσει ἐν, phrasi stylo Johannis haut insolitâ. Conf. 1. epist. c. 2. 29. c. 3. 7. & si detur, lectionem unicam esse δικαίω θησῆν, nihil inde pro

pro Papistis. Intelligere enim licebat, de ejusdem justificationis conti-
 nuatione vel declaratione. Superest locus Danielis c. 12. 3. Distributio
 Sanctorū ad aternā gloriam datur cū in subjectis, quorum alterum
 videtur commune Sanctorum in nomine **משכילי**, nec alligatur a-
 deo scientiā Doctoribus: sed ceteroqui intelligenter s. verā intelligentiā Spi-
 rituali atq; sic feliciter olim s. in hāc vitā, agentibus, & verē Sapientibus,
 qui ibidem v. 10. opponuntur **משכילי** s. impiis. Atq; his **משכילי**
 (intransitivē hic sumto vocabulo) promittitur *Splendor*, qvalis est *Se-
 renissimi nitidissimiq; expansi vel firmamenti*. Alterum autem Subje-
 ctum *Doctore* potius apparet esse, quod constituunt **מצריקי הרבוי**
 s. *justificantes multos* (quod in sensu *diviso* intelligendum, non quod
 tunc *justificaturi* sint: sed quod antea in hāc vitā ad quam pertinet *ju-
 stificatio*, prout ad alteram, hīc justificatorum *glorificatio*, multos,
 docendo, monendo, hortando, redarguendo, consolando, *ab errore
 via convertendo*, & *ex Diaboli laqueis eripiendo* justificarint) quibus
 prout ceteroqui *Stella* appellantur Apoc. 1. 20. ita hic promittitur
Splendor omnium stellarum in omne ævum. Apparet inde l. etiam posi-
 to, *significationem hīc forensē* non obtinere, nihil tamen inde pro
 Papistarum suppositione, quā volunt, *justificare* in hoc articulo idem
 esse, quod *justitiam inhārentem contrariæ formæ expulso*riam in-
 fundere, qualem sanē in Auditorum corda non infundit, qui ad *ju-
 stitiam* erudit. 2. Quin iterum posito vel concessō etiam illo, nondū
 tamen evincitur, verbum *justificare* primariō non sumi in *significatu
 forensi*, multō minū vero obtinetur hoc, quod in articulo *justifica-
 tionis peccatoris coram Deo*, *justificare* idem sit, ac *infundere justitiā*.
 Ceterū 3. placet aliis *significatum forensē* hic quoque defen-
 dere, ut ordini *Sacro Doctorali* vel *Ministeriali* *δευαννός & διακον-
 νός* s. *instrumentaliter & ministerialiter* tribuatur id quod principa-
 liter Deo propriū est, & prout Apostoli dicuntur **משיעי** s. *Ser-
 vatores* Obad. 21. qui se & suos Auditores servent vel salvent 1. Tim.
 4. 16. imo prout qui fratrem *à veritate aberrantem ab errore via aver-
 terit*, dicitur ejus *animam à morte servare* Jac: 5. 20. Ita Ministros Ec-
 clesiæ rectissimē quoq; dici posse alios *Justificare*, non quidem prin-
 cipaliter & auctoritativē, cum hoc solius Dei sit & soli Deo in sacris

B

assignetur

assignetur, sed *Ministerialiter*, quatenus omnibus verâ fide doctrinam salutis predicatam amplectentibus, sive in generali sive speciali, sive publicâ sive privatâ absolutione, lætum illud nuncium de gratuita peccatorum remissione annunciant, simulq; docent, concreditam sibi à Salvatore nostro clavem solventem esse, ut quemcunq; hac in terrâ solverint, sive quemcunq; verè pœnitentē à peccatis hîc absolverint, is etiam coram Deo à peccatis absolutus & justus declaratus & verè habendus sit, velut qui æqvè ac publicanus ille *ἔδικαιώθη* justificatus, in domū suam abire possit. Conf. Luc. 18. 14.

§. 8. Homonymia vocabuli constabit ex usu Biblico, quo nunc (1.) sumitur pro justificatione reciproca sui ipsius, quâ sc. sive ex magnâ justitiæ legalis persuasione, sive peccati vel criminis dissimulatione, etiam contra reclamantem conscientiam, aliquis vult purgare vel justificare seipsum, quomodo in Cod. Hebræo semel, reperitur in conjugatione Hithpael פִּטְטָהּ vel in futuro פִּטְטָהּ Gen. 44. 16. in N.T. autem e. c. Luc. 10. 29. c. 16. 15. nunc (2.) de justificatione hominis activâ, respectu Dei objectivâ, quâ sc. homines justificant Deum, i. e. Deum ac justitiam ejus publico præconio celebrant, ut sic Deus justificetur in sermonibus suis & vincat quando judicat Ps. 51. 6. Rom. 3. 4. Hoc sensu reperitur Luc. 7. 29. Et commodè huc referuntur loca Matth. 11. 19. Luc. 7. 35 ubi illud dictum Christi: *ἔδικαιώθη ἡ σοφία αὐτὸ ἰσὺν ἱερέων αὐτῆς (πάρων) Camerarius* quidem sensum communiorem defendit, eundemq; proverbialem, quo, qui audire, qui discere sapientiam debebant, qui ut pueri se ei humiliter submittere, illi sibi judicandi, vel judicum partes arrogant, & præposterè ac perversè sapientiam ipsam judicent, ut sic justificetur s. judicetur sapientia à filiis suis, qui velut in tribunali se ipsos collocantes de ipsâ sapientiâ non sine supercilio pronunciant, prout illi Pharisei & Legisperiti consilium Dei adversus seipsos aspernati, Christum peccatores recipientem criminabantur, velut hominem voracem & vini potorem Luc. 7. 30. 34. quo sensu apud Thucydidem legi notavit Camerarius & ex hoc Pasor in Lexico ad verbum *δικαίωσις*. Videtur autem obstare 1. Suppositio talis verbi *δικαίωσις* nusquam hoc sensu extans in Sacris. 2. mentio Sapientiæ, quæ citra dubium hîc ipse Christus est, prout alibi Conf.

Prov.

Prov. 1. 20. & seq. c. 8. 1. & seqq. c. 9. 1. quia seipsum Christus vocat *Sapientiam Dei*. Luc. 11. 49. conf. 1. Cor. 1. 24. Obstat 3. mentio *Filiorum Sapientiae*, & sic *Christi*, qui longè sanctior & sublimior titulus est, quàm ut conveniat illis Christi & Consilii cœlestis contemtoribus & calumniatoribus, & proprius est auscultantium & recipientium Christum velut æternam illam & ὑποστατικὴν & ὁμοιωμένην Patris Sapientiam conf. Prov. 8. 32. Joh. 1. 12. Obstat. 4. additum illud universale: *Omnium*. Omnes sc. *Filii sapientiae justificant Christum*. Implicat autem nomine *omnium Filiorum sapientiae* intelligere tales præfactos & sine fronte Aristarchos, & Censores ac contemtores Sapientiae, ut sic, si illi facerent filios Sapientiae & quidem *omnes*, qui sapientiam Dei vel Christum reprobant (quos nusquam Scriptura ejus *Filios*, nedum *omnes ejus Filios* dicit), illi qui Sapientiae Dei s. Christo obsequuntur & verâ fide adhærescunt, à tam sublimi titulo penitus sint excludendi, quod fuerit contra *gloriam omnium Sanctorum ejus*. Obstat 5. Luc. 7. 29. ubi dicitur: *Omnis populus audiens & publicani & iudaei & s. justificaverunt Deum: quibus publicanis & aliis de populo Deum justificantibus* i. e. Deo gloriam justitiae dantibus opponuntur v. 29. *Pharisaei illi consilium illud DEI aspernantes*, qui ad eò *empêctam Sapientiae* opponuntur *Filiis Sapientiae*, velut *Sapientiam justificantibus*, i. e. ab illis præjudiciis Pharisæorum *empêctarum*, Christum absolventibus, eundem celebrantibus ac testimonium justitiae ei perhibentibus, prout decebat genuinos *Sapientiae Filios*, ut ita collatis antecedentibus constet talis sensus verborum Christi: *Pharisaei quidem me sapientiam Dei reprehendunt & blasphemè Consilium Cœlestè aspernati me peccatores pœnitentes recipientem traducunt: sed tamen justificor i. e. absolvor s. testimonium justitiae & innocentiae consequor ab omnibus filiis meis, ab illis ipsis publicanis, Deum, & sic me Sapientiam Dei essentialè justificantibus*, Obstat. 6. quod verbum *δικαίωσω* semper sumatur in bonam partem, nunquam in sequiorem, ut idem sit, quod *præjudicare, perstringere, carpere, reprehendere*. Commodè ergò ad classem 2. refertur quoq; uterq; locus supra allegatus: sed & huc rectè refertur locus 1. Tim. 3. 16. ubi Christus dicitur *justificatus Spiritu* h. e. *justus agnitus & celebratus per miracula divina virtute Spiritus facta*.

9. Usurpatur 3. pro verè credentis & verè justificati coram

Deo (quem à priori describit Paulus, per modum *diòz* procedens à causà ad effectum) declaratione s. quis verè possit se credentem, & justificatum dicere? num is qui nudam fidem s. notitiam Evangelicæ doctrinæ jaecat, an verò qui statum illum *fidei & justitiæ* sibi & aliis per *fructus Spiritus* s. bona opera manifestat vel declarat? (quod, affirmando posterius &, exemplo Abrahami & Rahab, probando, defendit Jacobus.)

§. 10. His ergo locis abstractis verbum *divinòs* in omnibus aliis & ubiq; ac semper in Paulo sumitur de *justificatione* absolutoria e. c. Matth. 12. 37. & peculiariter, justificatione Dei *activà, hominis passivà* quâ hic coram Deo absolvitur s. justus pronunciatum sive justificatione hypotheticâ legali (post lapsum impossibili & sic negatâ Act. 13. 39. Rom. 2. 13. c. 3. 20. c. 4. 2. 1. Cor. 4. 4. Gal. 2. 16. c. 3. 11. 21. c. 5. 4. sive *novâ federali* vel *Evangelicâ*, per solam fidem in Christum, non ex operibus Luc. 18. 14. Act. 13. 39. Rom. 3. 24. 26. 28. 30. c. 4. 5. c. 5. 1. 9. c. 6. 7. c. 8. 30. 33. 1. Cor. 6. 11. Gal. 2. 16. 17. c. 3. 8. 24. Tit. 3. 7. Atq; hæc propria vocabuli in hoc articulo significatio est, etsi in locis illis omnibus nullus est qui interpretationem admittat Papisticam talis, qualem illi, in formali vocabuli ponunt, *mutationis physice vel qualitatis infuse*. Ac licet sano sensu concedi possit distinctio justificationis in 1. & 2. ut illa sit e. c. quando Abrahamus natus Parentibus infidelibus, & in idololatriâ educatus (Jhos. 24. 2.) per vocationem divinam (Gen. 12. 2.) quam non in Charan: sed Vr Chaldæorum accepit, *ex infideli factus est fidelis, ex injusto* (per merè gratuitâ justificationē) *justus* (Nehem. 9. 7. 8. Jes. 41. 2.) *per imputationem fidei in justitiam*: hæc autem illius *imputationis & sic absolutionis* continuatio (etsi enim Justificatio fit in instanti, tamen actus ille crebrò continuatur Rom. 3. 24. 25. c. 4. 3. Matth. 9. 2. 22. 1. Joh. 1. 9.) quomodo de Abrahamo jam ante 10. annos justificato prædicatur quod *crediderit DOMINO, qui imputaverit illud ei in justitiam* Gen. 15. 6. sive ut prima dicatur Evangelica illa quæ fit coram Deo, justitiam Christi imputando & sic peccata remittendo s. non imputando, tegendo. Conf. Rom. 4. 3. 4. 5. 6. 7. secunda legalis illa, declarativa, quæ fit coram hominibus, quatenus Evangelicè, non ex operibus; sed ex merè gratiâ per solam fidem in Christum justificatus, &

& sic justus, e. c. Abrahamus, per *præclarum* illud opus obedientiæ *offerendi super altare filii*, & sic *legaliter* declaratus, & coram toto mundo manifestatus est verè justificatus s. talis qui habuerit *veram fidem in Deum* *Et cui fides sit imputata in justitiam* Jacobi 2. 21. 22. 23. ut ita de primâ illâ agat Paulus, de secundâ Jacobus disputans contra fidem lingualem, s. merè nominalem. Prout tamen illa distinctio explicatur & applicatur in Scholâ Papisticâ, velut hæretica est fugienda. Huc ergo pertinet disputatio Jacobi cap. ii. v. 14. ad usq; finem, ubi non exprimitur id *propter quod homo coram Deo justificatur*: sed demonstratur tantum *effectus*, ex quo coram mundo justus agnoscitur vid. D. Gerhard. Tom. 3. LL. CC. loc. XIX. de justificatione quæst. 247. p. m. 1671. seqq.

§. ii. Hæc de Homonymiâ dixisse sufficiat; Nunc vel tribus, quod ajunt, lineolis, de ipsa Synonymia. Synonyma ejus habentur *beatitudo, remissio peccatorum* Joh. 20. v. 23, Rom. 3. v. 25. c. 4. 6. *Imputatio justitiæ sine operibus* Rom. 4. v. 6. *Condonatio & deletio peccatorum* Col. 2. v. 13. *imputatio fidei ad justitiam* Rom. 4. 3. 5. Gen. 15. 6. *non imputatio, tectio peccati, Deo adscripta* Ps. 32. 1. 2. Rom. 4. 7. 8. *regeneratio* i. Pet. 13. Joh. 3. 3. 5. *vivificatio* Ephes. 2. 5. (cum enim homo per fidem, quam Solus Spiritus S. operatur, justificatur, id ipsum revera est quædam *regeneratio & vivificatio*, quia ex *Filio iræ fit Filius Dei*, *Et hoc modo à morte in vitam transfertur*) ut tamen in formulâ Concordiæ triplex notetur vocabuli regenerationis suppositio, una generalis, quâ *simul & remissionem peccatorum & renovationem complectatur*, secunda *quando solam remissionem peccatorum, & adoptionem in filios Dei significat*, tertia *quando pro renovatione usurpatur*, ex quibus suppositionibus tertia familiaris fuit Luthero, prout notatum in F. C. p. 686. in quâ etiam alicubi pari modo usurpatur prout e. c. p. 595. at secunda rectius observatur in Apologiâ, & est prout scripturæ, ita & hujus loci propria. Quin & Synonymum verbi *justificare, vel justificari* est verbum *Salvare vel Salvari* Tit. 3. 5. 7. Ephes. 2. 8. nec *justificatio à glorificatione* distinguitur ratione causæ: sed duntaxat ratione *Ordinis*, justificatio enim antecedit, glorificatio sequitur. Rom. 8. 30. Pontificii sic distinguunt inter *justificationem & salvationem*, vel, prout alii, inter *Salutē*

primam & ultimam s. completam ut quando in Scripturâ dicitur, *hominem justificari fide sine operibus*, intelligendū sit, de justificatione *Primâ* vel salute *primâ*, nō de justificatione *secundâ*, nec salute *ultimâ*, velut quæ utraq; cadat in meritum condigni. Sic enim procedunt: primò irregeneratus regeneratur atq; ita gratis sine merito operum de condigno justificatur, deinde verò coram Deo magis justificatur & tandem salvatur: regeneratio illa fit per fidem sine operibus, quando autem regeneratur, tunc etiam justificatur (quæ justificatio adeo prima juxta illos fit gratis *sicut nihil eorum quæ justificationē præcedunt sive fides sive opera ipsam justificationis gratiâ* (de condigno) promereatur. Si enim gratia jam non ex operibus, alioquin gratiâ non est gratia, prout allegato Apostolo. Rom. II. 6. loquitur Tridentina Synod⁹ sess. 6. cap. 8. ut tamen homo justificandus & possit & debeat *se se viribus partim gratiæ, partim naturalis liberi arbitrii velut in spiritualibus per lapsum non amissi nec extincti: sed saltem attenuati ad justificationem præparare s. disponere*, quales præparationes sunt 1. Fides 2. Timor, 3. Spes. 4. dilectio, 5. detestatio peccati s. pœnitentia 6. bonum propositum, suscipiendi baptismum, inchoandi novam vitâ, & servandi divina Mandata, atq; sic per fidem (assensum) & cetera illa bona opera de congruo mereri justificationem primam (vid. Syn. Trid. sess. 6. cap. 1, 5. 6. Can. 5. 7. 9. Bellarm. 1. de Justif. c. 21) ubi autem jam ita justificatus per fidem & bona opera est, tunc & augmentum illius gratiæ vel justitiæ & ipsam Salutem s. vitam æternam per bona opera meretur de condigno vid. Syn. Trid. cap. 16. & Can. 32. Nobis autem salvari & justificari & vice versa justificari & salvari causaliter idem est, ut omnis justificatus ò δεικνωμένος (in sensu composito) sit quoq; jam σωσμένος salvatus s. in communionem juris ad eandem Salutem, & gloriam quam Beati consummati jam obtinent positus, si in tali statu perseveret, certissimè glorificandus, & ut prout solâ fide consecutus est justificantem gratiam: ita & solâ fide consecuturus sit cœlestem gloriam. Sunt igitur justificatio ac Salvatio sororio ac arctissimo vinculo connexa. Ceterum Onomatologiâ sic expeditâ ad Pragmatologiam procedo, certis illam thesibus propositurus. Esto igitur,

Theſis I

Thesis I.

Causa efficiens justificationis nostræ DEUS est s. immensa DEI erga nos gratia & misericordia.

§. I. Omnino nullus alius justificationis nostræ atq; Salutis fons est, nisi inenarrabilis Dei erga nos gratia & misericordia : Justificat enim h. e. à peccatis absolvit nos DEUS δωρεάν (Syrus *gratis*, quæ vox tria designat 1. Meriti vel inductivi in Subjecto negationem 2. Contrarii potius meriti, vel inductivi positionem. 3. Merè gratuitam beneficii præstationem sc. usq;ve adeo DEUM in nobis nullas reperire causas ad nos justificandum, ut potius reperiat amplissimas ad nos damnandum, & tamen non obstante tali nostrâ indignitate & reatu culpæ ac pœnæ Deum ex gratiâ merè gratiâ nos justificare) τῆ αὐτοῦ χάριτι, *Gratis, suâ gratiâ* Rom. 3. 24. Eph. 2. 8. Ipse adeo Deus Φιλανθρωπίᾳ & efficiens causa principalis Justificationis est, scripturâ undiq; attestante Exod. 34. 7. Esai. 45. 21. & 24. Rom. 4. 5. Eph. 2. 8. Rom. 3. 24. Indigitatq; non uno vocabulo misericordiam, quam modò Tit. 3. v. 5. χρηστότητι & Φιλανθρωπίαν, modò ἀγάπην vocat Eph. 2. v. 4. Usitatè in scripturis χάρις *gratia* dicitur, non habitualis illa quidem & infusa & sic inhærens, quam Pontificii somniant; sed bonitas Dei, quæ absq; ullis nostris meritis nos complexus est cum adhuc peccatores in peccatis mortui & ejus inimici essemus Rom. 5. v. 8. 10. Ubi ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ s. *Dilectio Dei*, quæ dicitur *effusa in Corda nostra* v. 5. non est dilectio activè nostra, respectu Dei autè objectiva: sed *activè Dei*, objectivè nostra s. non, dilectio, quæ nos Deum diligimus: sed dilectio, quâ Deus ab æterno dilexit & diligit nos, nec adeo charitas inhærens, temporaria, nostra: sed *æterna ipsius DEI*, quæ prout alibi 2. Tim. 1. 9. *nobis dicitur data in Christo ante tempora secularia*: ita hic s. Rom. 5. 8. 9. expressè appellatur *Dei charitas erga nos, quam Deus commendat, Christum pro nobis in mortem dando, & nos ejus Sanguine justificando, eademq; causa, quare spes non confundat.* Conf. v. 5. Pulchrè & consonanter Scripturis de illâ Confessio Augustana Art. 4. cum *justificari nos dicit non propriis viribus, meritis aut. operibus: sed gratis, id est, sola Dei gratiâ & misericordiâ vel solo gratuito Dei favore.* Neque enim Pontificii credimus, qui licet agnoscant causam efficientem justificationis esse misericordem DEUM

vid

vid. Syn. Trid. Sefs. 6. cap. 7. gratiam tamèn illam & charitatèm a deo prædicatam in Paulinis præcipuè Epistolis, habent pro *infusa* quædam *Et nobis inherente habituali qualitate*, quam vocant *gratiam gratam facientem*, & ad formalem nostræ Justificationis causam referunt unicuiq; sc. justificando *secundum propriam cuiusq; dispositionem*, justitiam talem novam, vel gratiam habitualem ipsamq; fidem, spem, charitatem, infundi, quæ sit stola illa candida, per quam justificati formaliter coram DEO sint justî, quamq; perferant ante tribunal Jesu Christi, & sic habeant vitam æternam. Vid. Trid. syn. I. alleg. sed & satisfraße nonnunquam de Justificatione loquuntur; Nam in compendio Theol. veritatis lib. 6. c. 32. hæc exstant. *In justificatione impij est aliquid ex parte Dei: aliquid ex parte peccatoris, aliquid ex parte Ecclesie; Ex parte Dei duo, Misericordia quæ malum indulget & justitia, quæ peccatorum aliquantulum exigit, vel hic vel in futuro purgatorio; ex parte peccatoris sunt etiam duo, scilicet Dei amor, & dolor, & hæc sunt due mola, quibus peccatum conteritur; ex parte Ecclesie similiter sunt Duo, (1.) meritum Christi & sanctorum (2.) Indulgentia per Papam & Episcopos: Nos non nisi unam propriè sic dictam justificationem agnoscentes excludimus omnia fictitia & commenta, Dei quæ solius bonitati & inexhaustæ misericordiæ acceptum ferimus reparatæ salutis & nostræ justificationis opus.*

Theſis II.

Causa justificationis emerens s. meritoria est consumatissima obedientia Christi eademq; non saltim passiva sed & activa Rom. 3. v. 24.
 §. 1. Diximus hæctenus de causa efficiente principali justificationis, quæ est *gratia Dei*; sequitur ut agamus de *causa justificationis meritoria*, quæ est *ἀπολύτῳσις* per Christum facta. Neque enim ita justificamur gratis, ac si nullum prorsus aliunde intervenisset pretium, quo nobis impetrata sit nostra impunitas, & salus s. vita æterna. Docet enim scriptura, & inde tenet fides Christiana, Deum nobis non remittere peccata, nisi interveniente sanguine Unigeniti Filii sui; quare cum dixisset Apostolus Deum nos gratis justificare *τῆ ἀπολύτῳσις* s. suâ gratiâ, ilico geminata mentioni *Gratiæ* subjungit geminatam mentionem causæ meritoriaæ sc. i. vocabulo *ἀπολύτῳσις* s. redemptionis

redemptionis factæ per solutionem verissimi λύτρον s. pretii (quod & a-
libi I. Pet. 1. 18. 19. & à Paulo mox explicatur) 2. vocabulo ἱλασθῆναι s.
placamenti per sanguinem Christi Rom. 3. v. 24. 25. justificamur, inquit,
gratia ejus (Dei) gratiâ per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem
constituit Deus placamentum in sanguine ipsius, qui locus instar funda-
menti est, & propria quali sedes hujus articuli. Idem verò
est sive dicatur Christum esse causam meritoriam justificationis sive
obedientiam & satisfactionem Christi esse loco meritoria cause habend-
dam, quia Christus ut mediator ac redemptor, id est, ratione suæ obe-
dientiæ & satisfactionis hic consideratur. Quare autem post lapsum
necessaria fuerit obedientia & satisfactio Christi Mediatoris ad no-
stram justificationem, colligere licet exinde, quod Deus non solum
misericors; sed & justus sit, & velut Judex universæ terræ non possit non
exercere Gen. 18. 25. Chab. c. 1. 13. nec possit & peccatum citra ullam sa-
tisfactionem condonare, & fontem simpliciter, interveniente sive
nulla, sive imaginariâ saltem satisfactione vel acceptilatione, ab-
solvere Exod. 34. 7. De quo faviter θεολογῆν S. Augusti-
nus in Psalm. c. Homines, inquit, quando judicant, aliquando
victi misericordiâ faciunt contra justitiam & videtur in eis esse mi-
sericordia & non esse judicium, aliquando verò rigidum volentes tenere
judicium, perdunt misericordiam. DEUS autem nec in bonitate sive
misericordia perdit judicii severitatem, nec in judicando cum severitate
amittit misericordie bonitatem. Unde illud Davidis in Pf. alleg. Mi-
sericordiam & Judicium cantabo tibi Domine. Quare cum DEUS
non solum sit misericors & benignus, sed etiam justus, imò ipsa justitia,
odio habens & puniens peccata. (Conf. Exod. 20. 5. Num. 14. 18. Deut. 32. 4.
Psalm 5. 5. 6. Psalm 49. 15. 16. Psalm. 72. 18. 19. Prov. 1. 24. 25. 26. ad-
usque f.) ideo ne ipsius justitia per peccatum læsa veniret in discrimen,
intercedere, oportuit perfectam pro peccatis satisfactionem, si-
ne qua non poterat genus humanum peccato contaminatum in gra-
tiam recipi. Es. 1. 10. 27. Sion in judicio redimetur, & captivi ejus in justitia
Porro cum Deus sit ipsa immutabilitas & æterna veritas, & verò di-
serta exstet comminationis sententia: Quacunq; die ex arboris ve-
rite fructu comederis, morte morieris Gen. 2. 17. Ideo postquam Homo
per præcepti divini transgressionem judicio Dei ac peccatorum
C pœnis

penis obnoxius erat factus, ex immensa & ineffabili Dei misericordia & ἀγάπη s. dilectione, eademque gratiâ, facta est talis translatio ut & culpas nostras, imo peccata totius mundi Christus in se reciperet poenas autem nostras ipse verissimâ satisfactione solveret, id quod non ipse (sed Adamus, & in hoc totum genus humanum) rapuerat, rependeret Pl. 69. 5. atque ita gratiâ DEI, pro omnibus ille unus mortem gustaret. Hebr. 2. 9. ne divina veritatis gloria labefactaretur.

§. 2. Hoc justificationis & salutis nostræ meritum à Christo præstitum s. illam satisfactionem & Obedientiam vid. Rom. 5. 19. (quæ ingreditur essentiam pacti vel Testamenti novi sc. respectu surrogationis Christi in locum generis humani Isaia 53. 6. 2. Cor. 5. 21. & præstationis ex parte Christi requisitæ ad promerendū reconciliationem Dei cum hominē & huus liberationem ab execratione Conf. Gal. 3. 13. 17. Coloss. 1. 20. ut tamen respectu nostri sit pura benevolentia Patris Rom. 8. 33.) quidam vocant causam impulsivam externam, quæ scilicet moverit Deum, ut credentes in Christum ab æterno elegerit ad salutem, eosque in tempore justificet & salvet. Quidam hanc Christi mediatoris obedientiam habito respectu ad ipsam meriti applicationem vocant causam materiale justificationis, cuius partes sive gradus insigniores sint: Incarnatio, & quod contra Socinianos notandum, non minus Christi passio ac mors quàm resurrectio Rom. c. 4. ult. Lobechius Disput. 7. in Aug. Conf. th. 37. 37. §. 3. Porro Christum mediatorem & Redemptorem nostrum, esse causam meritoriam nostræ justificationis, hætenus concedunt Pontifici, quomodo syn. Trid. sess. 6. Causa, inquiunt, meritoria est dilectissimus Dei Filius unigenitus Dominus noster Jesus Christus, qui cum essemus inimici propter nimiam Charitatem, quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfacit. Errant autem dum eundem valorem meriti respectu Patrum vel sanctorum V. T. negant 1. Absolutissimo illi sacrificio in arâ crucis consumato novum idemque verè & propriè sacrificium propitiatorium Missaticum addunt 3. eidem meritum B. Virg. Mariae, & omnium Sanctorum, operumque propitiatorum apponunt, quæ cedere possint nobis & cedant in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, &

ad præcepti divini transgressionem iudicio Dei ac peccatorum

ad consecutionem vite eterna. 4. Negant, nos solo isto merito Christi per fidem nobis imputato coram Deo justificari & salvari. 5. Ipsi operibus fidelium illam infinitam salvandi *ἰσχύειν* s. vim merendi & satisfaciendi, quæ ex passione Dominica in illam influat adscribunt, ut ita homo duplici titulo jus habeat ad gloriam vite eterna, uno ex meritis Christi, altero ex meritis propriis sc. ad majorem gloriam Dei facere ut satisfactioni Christi jungatur nostra, quomodo cum una gutta sanguinis Christi sufficeret, Christus nihilominus voluerit totum sanguinem effundere, ut esset copiosa redemptio Vid. Bellarminus l. 1. de Purg. c. 14. dum 6. Satisfactioni Christi adscribunt, quod ex eâ habeamus gratiam unde ipsi satisfaciamus, neque alio modo nobis applicari Christi satisfactionem, revera adeo unam esse tantum actualem satisfactionem, eandemq. non Christi: sed nostram. Vid. ibidem. Dum 7. negant Christum *Θεῶν ἑνωσιον* secundum utramq. naturam Mediatorem, satisfactorem & Redemptorem nostrum esse: sed ab illo opere divinam Christi naturam excludunt, & non obstante illo 8. Negant Christum sibi ipsi, quâ Deus est, satisfacisse, ac iterum 9. asserunt Christum ut hominem sibi ipsi vitam gloriamq. eternam obedientiam suam velut causam meritoriam promeruisse. §. 4. Penitus autem Satisfactionem Christi verè & propriè sic dictam unam cum veritate *λύτρωσιν* ipsamque sic veram causam meritoriam justificationis tollunt Neo-Photiniani s. Sociniani. Concedunt quidem Christum esse nostrum Servatorem (1.) Doctrinam, quatenus salutis aeternæ vitam nobis annuntiavit, 2. Exemplo, quatenus istam vitam nobis in sua ipsius persona monstravit & à mortuis resurgendo confirmavit. (3.) Communicatione, quatenus plenissima potestate in Cælo & terra à Patre accepta se vitam aeternam nobis daturum probavit, & re ipsa tandem largiturus est; Negant verò esse Servatorem (4.) satisfactione, quâ mediante morte & passione peccata nostra expiavit, iram Dei placavit, nosque cum illo reconciliavit. Quin superiori seculo blasphemum hunc non tam errorem, quàm furorem eructarunt, Christum nec per hoc, quod Legi subditus, perfecta eam obedientia implevisse, nec poenas peccatis nostris debitas sustinuisse, nec iram Dei placasse vel justitiæ satisfacisse, imò ne quidem satisfactione opus fuisse, cum Deus libera voluntate & ab-

soluta bonitate, non ob meritum aliquod Filij peccata condonet, & vita aeterna participes faciat illos, qui Christi verbo credunt & vita innocentia student: Christum quidem perfecte implevisse legem, sed ad obedientiam illam pro semetipso adstrictum fuisse: Christum quidem dici Redemptorem nostrum, id verò de Metaphorica quadam redemptione intelligendum esse, in qua peragenda nullum intervenerit pretium. Christum dici salvatorem nostrum, non quia pro peccatis nostris satisfecerit ac vitam aeternam nobis promeruerit: sed quia salutis viam nobis annuñciaverit, eandem effusione sanguinis sui confirmaverit, & exemplo suo pramonstraverit. Denique, quia potestate à Patre accepta vitam aeternam nobis sit daturus. Hæc omnia in faustus ille Faustus Socinus Neophotinianorum $\pi\rho\sigma\mu\chi\theta$ inculcat in libro de Christo servatore lib. I. c. 1. seqq. sunt verba consummatissimi quondam Theologi Jenensis B. Gerhardi.

§. 5. Occasio Blasphemi hujus erroris animadvertitur potissimū duplex. (1.) *abnegatio divinitatis Christi, quam hæresin vovent Samofateniani, Sociniani Neo-photiani.* (2.) *Absolutū Electionis decretum, quod propugnant Calviniani, sic enim Calvinus lib. II. instit. cap. 17. sect. I. Equidem fateor si quis simpliciter & per se Christum opponere vellet iudicio Dei non fore merito locum, quia non reperietur in nomine dignitas, quæ possit DEUM promereri. Ut & Musculi in locis communibus cap. de justifi: p. 267. Si Deus judiciariæ justitiæ sic obstrictus est, ut non liceat ipsi quorum vult misereri & à peccatis absolvere reos, quod tamen permultos sibi Principes & Magistratus libere promittere videmus, consequitur inania esse, quæcunque in scripturis de gratia & misericordia Dei leguntur, nectantum illi potestatis esse in ipsius creaturas, quantum est hominis in subditos imò minus quantum est figulo in lutum. Idem cum Musculo statuit Vorstius in Catalogo errorum Sibrandi Luberti p. 38. errore 66. ubi expressè scribit, id ipsum remitti vere non posse, quod plena solutione jam deletum est, & vice versa, quod vere condonatum est, pro eo plenam solutionem justè exigi non posse; videantur plura contra Christi satisfactionem à Vorstio disputata apud Festum Hommum. Nec probanda sententia Amandi Polani & Calvini,*

ni, Deum potuisse invenire rationem aliam, quæ reconciliaremur ipsi, potuisse illam rem nutu peragi aut verbo simplici, nec necessariam fuisse missionem Filii. Conf. Pol. part. 3. thes. p. 59. Calv. in Comm. ad c. 15. Johann. Hæc omnia si uno intuitu complectamur, facile apparebit, quæ occasio blasphemæ hujus erroris Neo-Photinianis exstiterit. §. 6. Ceterum refutantur solidè ex scripturis. Christus enim est noster Redemptor, per quem Deo sumus reconciliati, qui vitam suam dedit *λύτρον ἡμῶν ἀντὶ λύτρον*, pro nobis factus peccatum, maledictum, suscipiens in se peccata & pœnas peccatorum nostrorum, ac sanguinè suam pro illis fundens, ut delet, quod contra nos erat Chirographo, à maledictione legis, ab ira Dei & ab æterna damnatione liberi in ipso simus justis & dilecti, unde sequitur: Christum pro peccatis nostris satisfecisse ac esse meritoriam causam justificationis, & quod contra errorem Ursini Piscatoris Herbornensis & longè plurimorum Calvinianorum tenendum est, non tantum obedientiâ passivâ: sed & activâ, & hæc non saltem utili: sed & necessariâ, ac ex æquo Credentibus ad justificationem imputandâ, talem meritoriâ causam esse, pro quo nunc provocamus ad loca scripturæ clarissima & totidem ex illis argumenta e. c. Rom. 5. 19. 20. Matth. 5. 17. Hebr. 10. 10. Gal. 4. 4. Rom. 10. 4. Nec ab inclusivâ mortis s. obedientiæ passivæ ad exclusivam obedientiæ activæ, sine palpabili Paralogismo inferre licet, quo ipso aciem omnem perdunt argumenta adversariorum ex Epist. Philipp. c. 2. 8. Hebr. c. 2. 8. 9. 14. &c.

Thesis III.

Instrumentalis causa respectu Dei exhibentis est ministerium verbi & Sacramentorum Rom. 10. 14. Respectu Hominis oblatam gratiam recipientis, est sola fides Rom. 3. v. 15.

§. 1. Causas in præcedentibus vidimus impellentem, meritoriam, quæ est Christus in sanctissimo suo merito & satisfactione consideratus. Nunc instrumentalem consideremus, (1.) ex parte Dei, (2.) ex parte hominum, (1.) Ex parte Dei est ministerium verbi & Sacramentorum, per quæ & in quibus beneficia Christi hominibus offeruntur, ex parte hominis est fides & quidem sola fides innixa Christi merito, quæ supposita definitivè notitia & salutari assensu, con-

sistit in fiduciali apprehensione seu appropriativa receptione meriti Christi, ubi simul notatu dignum erit non intelligi hic fidem quandam generalem aut miraculosam, nec fidem Christianam, ut in latitudine sic dictam, quæ Paulo est *ὑπακοή τῆς πίστεως*, & pro objecto dogmatico habet omnia in scripturis & præcipuè de Christo revelata, quibus assensus accommodandus: sed tantum fidem justificantem & salvificam, quæ talem.

§. 2. Et ad illam quidem requiritur 1. doctrinæ cœlitus revelatæ, præcipuè de S. S. Trinitate & mysterio, quod vocant Oeconomiam nostræ salutis, notitia & 2. verus nec perfunctorius: sed firmus & solidus assensus. Conf. de illâ Luc. 1. 77. Jobi 19. 24. Joh. 6. 69. de hoc 2. Thef. 2. 12. Joh. 11. 27. 42. c. 16. 27. Rom. 14. 5. Notitia, inquam, earum rerum, quæ nobis à Deo salutis nostræ causa revelantur, quod probatur tum ex scripturæ dictis Esai. 53. 11. Joh. 17. 3. tum etiam exindè, quod fides, fatentibus adversariis, est *assensus*, assensus autem semper versatur circa ea quorum habemus *notitiam*, ideo enim assentimur, quia rem veram esse judicamus, Judicium autem rei cognitionem dijudicando præsupponit: alioquin cœcum esset. Quamvis verò intellectus noster non penetret mysteria, velut supra rationem posita, benè tamen sub aliqualem ejus illuminati cognitionem cadunt revelata; Nec etiam opus est in hac mortalitate, ut modum mysteriorum divinarum accuratè & intimè pernoscamus, quod tutissimè reservatur Academiae visionis & Patriæ cœlestis. Assensus requiritur quoque cum in universali tum in singulari, quo videlicet non solum illis, quæ salutis nostræ causa divinitus nobis revelata sunt, assentimur, sed imprimis promissiones DEI gratuitas ad nos transferimus, credentes Christum pro nobis etiam sese in mortè tradidisse, pro nobis *λύτρον* pretiosum solvisse, pro nobis satisfecisse, nos quoque propter Christum remissionem peccatorum consecuturos esse. Unde illud Pauli: accedamus cum vero corde *ἐν πληροφωρίᾳ πίστεως* Hebr. 10. 22. Conf. quoque Joh. 8. 24. Actor. 8. 37. Et talis assensus proximè & immediatè conjunctus est cum fiducia.

§. 3. Atque sic Tertium requisitum est fiducia, quam magni nominis Theologus (D. Chemnitius) animam fidei justificantis salutem;

rat; cum enim homo fiducialiter apprehendit satisfactionem & obedientiam illam activam & passivam Christi, & in Christo gratiam ac illam, quæ in solo Nomine Christi datur, remissionem peccatorum & salutem, jam hæc ipsa justificans & salvifica fides est. Atq; inde est, quod scriptura sacra fidem justificantem modò vocabulo intellectus nẽpe agnitionis Christi ut Esai. 53. 11. Joh. 17. 3. modò voluntatis exprimit, nempe fiduciam ut Joh. 6. v. 47. *Amen Amen! dico vobis, qui confidit mihi seu credit in me, habet vitam æternam.*

§. 4. Fidem autem esse talem prout Paulus Hebr. 11. 1. appellat hypostasim i. e. firmiter & immotè subsistentem fiduciam in merito Christi repositam, unde homo certus est, se propter meritum Christi fide apprehensum, non tantum DEO Patri conciliatum iri, verum omnium quoque peccatorum suorum remissionem consecuturum esse, patet ex sequentibus. (1.) ab Etymologia. Fides & fiducia *πίστις* καὶ περιθήκη à verbo *διαδίδωμι* medix *πίστιδα* est à *πίστω* quod non solum significat doceo: sed etiam persuadeo. Ergo cum in verbo Evangelii offeruntur cordibus contritis beneficia Christi Mediatoris, inde persuadentur, ut credant illi cœlesti veritati & illi precipue fidei & omni acceptione digno. Sermoni, quod *JESUS Christus venit in Mundum ad peccatores salvos faciendum.* 1. Tim. 1. 15. s. illis axiomatis fidei justificanti formalibus e. c. Joh. 1. 29. 50. c. 11. 25. 26. 27. Act. 8. 37. & ita fidei subsumptione persuasionem & fiduciam concipiunt de misericordia Dei propter Christum, ac Deo veraci bona promittenti & offerenti ex animo credunt, & merâ sic fide apprehendunt. Referendum quoque ad hanc vocabuli etymologiam, quod ex Laurentio Valla adducit Budæus. *Laurentius*, inquit, *persuasionem proprie vocari posse contendit quam Latini Christiani fidem, Græci πίστιν appellant hoc est certam quandam opinionem & sententiam, quam nobis persuasimus, id quod mihi Laurentius rectè censuisse videtur, cum à verbo græco πίστευμαι id est persuasim mihi, πίστις apud nos, dicatur, quam nos fidem dicimus.* (2.) Ex conjugatis *πίστις* & *πίστις* significat confidere, idque in puro Hellenismo e. c. apud Demosth. *ὅτι θάρρους ἔστι καὶ πιστεύουσι αὐτῷ* i. e. *qui verâ fiducia innituntur, s. fidunt illi, quomodo respondent ei voces Hebrææ.* Neque enim hæc fides exprimitur saltem verbo *יִמְנַן*: sed & verbo

verbo ΠΙΣΤΙΣ itē ΠΙΣΤΗ, quæ minùs rectè unà cum illà, quæ hic designatur, fiducia ad spem referunt Pontificii, contradistinctam fidei & sic fiduciam vel hujus certitudinem opponunt certitudini fidei) ΠΙΣΤΟΣ fidelis, quomodo apud Hom. est ΠΙΣΤΟΣ ΕΤΑΙΡΟΣ s. fidus amicus, cujus fidei aliquis se se committere tutò potest, & Φιλία ΠΙΣΤΟΤΗΤΗ apud Hæcratem, fida amicitia. Ergo ΠΙΣΤΙΣ notat fiduciam Matth. 24. 45. Quis putas est ΠΙΣΤΟΣ ΔΕΛΤΟΣ Φρόνιμος & prudens servus Luc. 16. 11. Si in iniquo Mammona non fuistis ΠΙΣΤΟΙ, quod verum, quis ΠΙΣΤΕΥΣΕΙ s. concredet vobis Joh. 11. v. 24. Jesus non credebat se eis, hoc est, non concredabatur cum illis fiducialiter.

§. 5. (3.) Ex synonymia. Fides appellatur ὑΠΟΣΤΑΣΙΣ Hebr. 11. 1. ab ὑΠΟΪΣΤΑΣΙΣ quomodo Meteora distinguit Aristoteles in illa, quæ sint κατ' ἔμΦΑΣΙΝ s. quoad nudam phantasiam vel apparentiam, & illa quæ sunt κατ' ὑΠΟΣΤΑΣΙΝ s. quod subsistentiam, sicut in naturâ rerum vera existant, unde ὑΠΟΣΤΑΣΙΣ vocabulum mysterio Summo quoque jam olim accommodatum, sicut in Deo diceretur una ἔΣΙΑ, & tres hypostases, (etsi Hieron. ep. 57. ad Damasum intolerabilis aliquando visa illa trium hypostasium in DEO assertio, & Concilium Sardicense in Deo agnovit μΙΑΝ ὑΠΟΣΤΑΣΙΝ: Ceterum addidit: Hæreticis ῥΟΙΛΑΝ intelligi vocabulo hypostaseos & hoc sensu prout una ἔΣΙΑ: ita & μΙΑ ὑΠΟΣΤΑΣΙΣ, salvo tamen mysterio 3. personarum, quas nec Sardicensis Synodus negavit, nec Hieronymus.) Inde ergo fides quoque ὑΠΟΣΤΑΣΙΣ dicta Paulo, quia firmiter stat, non cadit aut fugit, certissimâ, & immotâ fiduciâ in Dei promissionibus acquiescens, quam significationem præter usitatam substantiæ s. subsistentiæ notionem huic voci competere patet ex c. 3. ejusdem Epist. v. 14. Particeps facti sumus Christi, si principiam ὑΠΟΣΤΑΣΙΣ usq; ad finem firmâ retinuerimus, id v. 6. sic exponitur, domus Christi sumus, si fiduciam & gloriationem speis que ad finem firmam retinuerimus. Eodem sensu Paulus 2. Cor. 9. v. 4. & 2. Cor. 11. v. 16. ὑΠΟΣΤΑΣΙΝ gloriationis, vocat certam & immotam animi confidentiam. 4. A Collatione locorum parallelorum veteris & Novi Testamenti; Quæ enim in veteri Testamento credentibus & fidei tribuuntur c. c. quod Psal. 2. vers. ult. dicitur Beati omnes qui confidunt in eo; id Marc. 16. v. 16. sic exprimitur: Qui crediderit, salvus erit,

erit Quod Ef. 26. v. 3. dicitur *servabis pacem, quia in te confisus est*, id Rom. v. 1. sic effertur *justificati fide pacem habemus apud Deum*. Quod Prov. 3. v. 5. dicitur, *Confide Jehovæ toto corde*, id Actor: 8. v. 37. sic effertur. Si credis ex toto corde, &c. (s.) Ab objecto fidei quod est promissio gratiæ seu de gratiâ DEI & conferendâ nobis propter commune Christi meritum & intercessionem remissione peccatorum & Salute Act. 10. 43. Fides justificans amplectitur promissionem Evangelicam de beneficiis Christi Mediatoris eandemq; sibi applicat: Rom. 4. v. 16. Nuda notitia vel nudus assensus non amplectitur illam promissionem; Ergo fides justificans non est nuda notitia nec sola notitia cum assensu, quippe quo stante potest homo desperare, & perire, nisi accedat fiducia, quâ divinis Evangelii promissionibus confiditur sic ut in his cor acquiescat. *Ideo ex fide*, ait Paulus, *ut sit firma promissio. Atqui omnes promissiones in Christo sunt Amen.* 2. Cor. I. v. 20. id est, includunt Christum Mediatorem, sine quo Deus nihil nobiscum agit,

§. 6. Objectum ergo fidei est *promissio de Christo*, quam non nudâ notitiâ, sed certâ cordis fiduciâ nos amplecti oportet. D. Luth. dicere fuit solitus: *qualis est copulatio maris, & Femina in Legitimo matrimonio, connexio, promissio videlicet indissolubilis talis quoq; est fidei & promissionis. Promissio non est firma nobis, id est respectu nostri, nisi apprehendatur fide, ac fides est inanis imaginatio nisi nitatur promissione veluti petrâ & anchorâ.* 6. Ab oppositis fidei, cujusmodi e. c. sunt: *hesitare diffidentiâ, hinc inde agitari, $\mu\epsilon\lambda\epsilon\omega\pi\acute{\iota}\varsigma\ \epsilon\omega\delta\zeta$, parvâ fiduciâ esse Rom. 4. 20. Jacôb 1. 6. Luc. 8. 5. Marc 5. 36. Luc. 12. 28. 29. Matth. 8. 29. c. 14. 31. c. 16. 87. à naturâ, proprietatibus & effectis fidei. Forma & quasi anima fidei Justificantis est fiducialis Christi cum omnibus beneficiis in verbo Evangelii oblati apprehensio Joh. 1. v. 12. Quotquot eum receperunt $\epsilon\lambda\alpha\beta\omicron\nu$ dedit eis potestatem Filios Dei fieri. Rom. 5. 11. per ipsum (Christum) accepimus reconciliationem, $\epsilon\lambda\alpha\beta\omicron\nu\mu\epsilon\nu$ Gal. 3. v. 14. ut promissionem Spiritus accipiamus $\lambda\acute{\alpha}\beta\omega\mu\epsilon\nu$ per fidem Hebr. 4. 16. accedamus cum fiducia ad Thronum gratiæ, ut accipiamus sive consequamur $\lambda\acute{\alpha}\beta\omega\mu\epsilon\nu$ Misericordiam. Ex quibus dictis patet, fidem justificantem amplecti, recipere, apprehendere, credentiq; applicare Christum & in Christo gratiam Dei, remissionem peccatorum, justitiam & salutem æternam, id verò de nudâ notitiâ prædicari non potest,*

D

§. 7.

bi
§. 7. Opponit ex Pontificiis Bellarminus probaturus fidem justificantem non esse fiduciam, locum Rom. 4. v. 19. ubi habentur hæc verba: *Ac minime inbecillis fide Abraham, non consideravit suum ipsius corpus jam emortuum* Ec. & v. 20. *adversus promissionem autem Dei non desceperat infidelitate, sed robustus factus est fide, ac plenè per suam habuit, Deum quod promiserat, posse etiam facere.* Hic dicit Bellarminus: Paulum fidei justificantis naturam explicare duobus modis; 1. Negative, *non consideravit Abraham emortuum corpus suum.* 2. *Affirmative; plenissimè sciens. Utrumque verò, intellectus esse, neutrum voluntatis, quæ tamen fiduciæ subjectum uniusque existat; Et adeo fidem non esse fiduciam.*

§. 8. Ut autem illa ita se haberent, sciendum tamen, Paulum fidem Abrahami non nudo intellectus: sed & voluntatis actu designavisse, quando ait: *Abrahamum non hesitasse diffidentiam, sed confortatum esse fide, ita ut sibi per suum sissimum habuerit, Deum factam hanc sibi de nascendo ex Sara uxore filio promissionem tam certò præstiturum esse, ac sibi jam tum ipsa præstita esset.* Quod autem Bellarminus falsam hanc suam sententiam palliaturus porro adducit locum 1. Cor. 13. v. 13. *nunc autem manet fides spes* Ec. Et ex eo denuo infert fidem non esse fiduciam, cum Apostolus hic distinguat fidem à spe, quæ ut roborata idem est cum fiduciam. Respond. Negando, quod fiducia & spes (licet roborata) idem sint: Nam differunt (1.) objecto, fiducia enim pro objecto habet præsentia; spes autem ea quæ futura sunt; (2.) si jungantur, fiducia est causa spei. (3.) ratione oppositorum quoque; discrimen apparet, cum fiducia opponatur diffidentia, spei vero desperatio.

Thesis IV.

Causa formalis justificationis est gratuita peccatorum remissio & justitiæ per Christum partæ imputatio.

§. 1. Quod attinet rationem formalem justificationis nostræ, longissimè à nobis hæc in parte dissentiunt, tum Osiander, tum Pontificii; Osiander quippe eam constituebat ipsam Dei sive divinitatis Christi essentialem justitiam, & adstruere laborabat sequentibus argumentis (1.) Justitia quæ Deus nos justificat, quæque in Evangelio revelatur, justitia Dei appellatur Rom. 1. 17, *At justitia Dei est Deo essentialis;*

lis. Ergo essentiali DEI justitia justificamur. Resp. in minori est ψεύδος ὡς ἔστι ἰσχυρόν. Vocabulum enim justitiæ in articulo justificationis peculiari scripturæ idiotismo significat aliàs bonitatem & misericordiam Dei, alias justitiam, quæ coram Deo acceptatur ad vitam æternam & consistit in obedientiâ, passione, morte, ac resurrectione Mediatoris nostri Jesu Christi. Equidem Deus in punitione Christi ostendit quoque justitiam legalem & vindicatricem vel ultricem essentialem: ceterum in Christo punito loco nostri & ordinato nobis Mediatore, ut ex ejus vulneribus sanaremur, declaravit justitiam Evangelicam, & illam ineffabilem φιλανθρωπίαν, ex quâ jam omnes quî credit in Filium hominis crucifixum non perit: sed habet vitam æternam. Joh. 3. 14. 15. 16. Hanc justitiam Paulus Rom. 1. 16. 17. dicit: *revelari in Evangelio*, ita, quod Deus ex mera bonitate & misericordia sua, propter obedientiam, passionem, mortem & resurrectionem Christi Servatoris nostri, pro justis reputare dignatur omnes quotquot gratiæ Dei in merito obedientiæ & redemptionis Christi fidunt, sive eam certa fide apprehendunt, sibi que applicant. Hoc scilicet modo D. Paulus ipse justitiam Dei in Evangelio revelari testatur & ibi & Rom. 3. 24. inquit, *justificamur gratis Dei gratiâ per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem Deus proposuit propitiatorum per fidem in sanguine ejus.*

§. 2. Nihil igitur dicta quibus *justitia Dei justificari* dicimur paradoxo Osiandri patrocinantur. Alterum argumentum Osiander desumpsit ex Jer. 23. 6. Christus dicitur *Jehova justitia nostra*. At Jehova significat nudam *essentiam divinam in Christo*, ergo divina *essentia est nostra justitia*. Respond. in majori est ψεύδος ὡς ἔστι ἰσχυρόν. Christus *Jehova* dicitur *justitia nostra*, non justitiâ quæ ipse essentialiter in se in sua persona justus est, sed justitiâ, activâ & passivâ, quâ nobis in officio Redemptoris & Mediatoris satisfaciendo & satisfaciendo justitiam coram Deo consistentem acquisivit. Ita Christus *justitia nostra* est, per modum *causæ formalis*, quatenus justitia merito obedientiæ mortis & resurrectionis suæ acquisita, & nobis per fidem imputata, nos justificat: sed & per modum *causæ efficientis* (1.) Principalis quomodo ratione generaliori, cum Patre & Spiritu S. nostra est,

justitia, qvatenus hæ tres Personæ sunt unus ille Deus justificans im-
 pium (2.) Meritoria, qvomodo ratione singulari, non autem in nuda
 divinitate: sed & in humanitate in qua traditus propter peccata
 nostra, & resuscitatus propter justitiam nostram, *nostra est justitia*: fa-
 ctus scilicet sic á Deo Patre nobis justitia, ut ab eodem nobis factus
 est redemptio. 1. Cor. 1. qvæ verò factus est non in nuda divinitate, sed
 & in humanitate, in qua factus est propitiatio pro peccatis nostris &
 totius mundi, cujus sanguine personaliter sibi appropriato, *Deus re-
 demit Ecclesiam suam, in qua ipse Dominus gloriae crucifixus & sic verè &
 realiter Deus mortuus est.* Falsa igitur est assumptio Osiandri qva ait,
vocem Jehova nudam essentiam divinam in dicto Jeremia significare, est
namqve nomen Personæ, qvæ constat divina & humana natura: tantum
fit denominatio à natura divina, ne hæc ab opere redemptionis, in
qvo Christus nostra est justitia, videatur seclusa: sed hoc toti, perso-
næ, qvæ est צמח יהוה idemq; germen Davidis & adeo θεῶν δῶπος
attribuendum esse intelligatur. Suscitabo, inquit Dominus, Davidi
germen justum צמח צדיק & hoc est nomen ejus quo vocabunt eum, Je-
hova justitia nostra scilicet ne Jehova in sola & nuda divinitate justitia
nostra esse intelligatur, personam, quam vocabunt credentes justiti-
am suam & Jehovaham & germen Davidis nominat per Prophetam, &
qvadem cum attributo justitiæ. Germen, inquit, Davidis justum, non
tantum qvia in se justum est, sed & qvia justitiæ nostræ promerens cau-
sa est, ipse enim in se justus, cum non novisset peccatum factus est peccatū
ut nos fieremus justitia Dei in eo. 2. Cor. 5. 13. Hæc de crassissimo Osiandri
errore,

§. 3. Pontificii in Contrarium currunt, & recte qvidem in Syno-
 do Trid. Sess. 6. c. 7. nobiscum illum Osiandri errorē declinant: ceterū
 dum illam Scyllam vitare volunt in charibdim incidunt, ac si sc. inter
 justitiam Dei essentialem, qvâ ipse Deus justus est, & qvalitativam
 in hærentem homini formalem non daretur tertium, ipsius sc. *Christi*
 illa *justitia* qvæ nostra fit per imputationem. Igitur Pontificii in
 habitu justitiæ nobis in hærente vel charitate, dono renovationis
 per spiritum sanctum eandem consistere arbitrantur. Ita enim
 Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 7. *Unica formalis causa justifica-*
ti onis

tionis est iustitia Dei, non quia ipse iustus est, sed quia nos iustos facit, quia videlicet ob eo donati, renovamur Spiritu mentis nostrae & non modo reputamur, sed etiam verè iusti sumus & nominamur iustitiam in nobis recipientes &c. Verùm quod neq; iustitiæ habitus aut charitas infusa nostræ justificationis causam formalem constituere possit, patet exindè, quòd scriptura nusquam tradit, nos per Charitatem nostram justificari, & licet Pontificii per vocem *gratia*, intelligant *charitatem* nostram, nos tamen hoc simpliciter negamus eam ob causam, quia gratia in articulo justificationis semper Dei, non verò *nostram Charitatē* velut inhaerentem quandam qualitatem significat: & quod *gratia Dei* ut causa impulsiva interna, non verò ut ratio formalis justificationis nostræ describatur. Et quoniā justificatio est actio quædā judicialis, in qua homo justificandus tribunali Dei quasi sistitur, necesse quoque est, ut adferat secum homo peccator aliquid, quo se adversus delictū tueri & sic iustus renunciari possit. Jam vero scriptura Sacra non aliud nobis præter *meritum Christi* exhibet, Christum enim proposuit Deus propitiatorium pro nobis eumq; fecit peccatum, ut efficeremur Iustitia Dei in ipso Rom. 3. 24. 2. Cor 5. 21.

Thesis V.

Materiale sive subiectum recipiens justificationem est totus homo peccator (siquidem peccavit totus homo) neque tamen retinens voluntarium propositum peccandi in ipso justificationis actu.

§. 1. Justificatio est actio ideoque materiam circa quam sive subiectum occupare desiderat, quod est *Homo peccator* justificandus juxta illud Rom. 4. v. 5. *Credit in eum qui justificat impiūm.* v. 7. *Beati quorum remissa sunt iniquitates* v. 8. *Beatus Vir, cui Dominus non imputavit peccatum.* Atque hinc contra Pontificios sic argumentamur: *Homo impius & peccator suis operibus aliquid promereri* aut se ad gratiam Dei applicare, aut eandem prævenire nullatenus potest, quoniam opera ejus omnia mala sunt; At vero ij, qui justificantur sunt impii & peccatores. Ergo suis operibus aliquid promereri aut se ad gratiam DEI applicare nullatenus possunt. Bellarminus parum rectè hic Philosophatus videtur, qui crassè in justificatione cap. 2. aberrat. *Causa*

materialis dici potest animus hominis, sive ipsa ejus voluntas in qua justitia tanquam in subiecto & sede propria commoratur. Pertinent quoque ad materialem causam dispositiones quae materiam preparant ad recipiendam formam in quibus verbis aliquot errores observavit B. Meisnerus. Hac enim ipsius verba. Nam (1.) partem unam hominis nempe animum justificationis Objectum constituit, cum tamen totus homo sit justificandus, quippe totus existens peccator. (2.) voluntatem vult esse subiectum sive materiam, cui inhareat justitia tanquam forma. Verum aliud est *justitia*, aliud *justificatio*, de qua hic quaeritur. Hac enim est *actio Dei*, cujus subiectum in quo (s. in habitatione) nullum potest esse, cum actiones transeant, non permaneant, nisi ratione *similitudinis & efficaciae*, petit insuper principium in hoc, quod justus sumus *justitia inherente*, de quo in dictum (3.) dispositiones refert ad causam materialem, quas tamen ad formam refert Costerus in Enchiridio p. 261. Alii ad causam efficientem reducunt. Sic autem inferimus: Materia tantum patitur non agit, quicquid ergo actus est, id non est materia, dispositiones vero illae sunt actus fatente Bellarmino & confirmante, ex Concilio Tridentino sess. 6. c. 6. Ergo *dispositiones illae non sunt materia, aut aliquid materiae*. Haec Dominus Meisnerus.

§. 2. Porro Deus hominem justificat (1.) non causaliter consideratum, quatenus peccator: haec enim mortis reus est, sed quatenus Deus inde decrevit occasionem accipere, suam nobis bonitatem demonstrandi. (2.) Justificat Deus hominem peccatorem non quocumque modo comparatum, sed poenitentem & credentem in Christum, non in peccatis perseverantem: sed ex illis eluctantem, talem pro quo (licet non ipse) Christus tamen satisfecit, ut adeo subiectum s. homo qui est DEI justificantis objectum triplicem hic habeat respectum sc. 1. ratione termini a quo, est impius. 2. In instanti praesenti justificationis, est credens in Christum. 3. In termino ad quem, est *Justus* (Evangelice) atque sic justificatus (ex Evangelio) dein facit justitiam) quod est legale s. Legis, & pertinet ad Renovationem, ubi jam *bona arbor* (εὐαγγελικὸς) facit quoque *βομικὸς* bonos fructus, qui tamen tales non forent, nisi per Evangelium, homo bona arbor factus esset, nisi jam *sanguine Christi mundatus, cor purum, conscientiam*

scientiam bonam, fidem non simulatam haberet, ex quo fonte emanat illa Charitas, quem finem vel summum præceptum vocat Apostolus I. Tim. 1. 5.

Thesis VI.

Finis in Iustificacione respectu hominis ultimus, est æterna vita æquisitio. Rom. 6. v. 22. Tit. 3. v. 7. Respectu, DE Iejus est gloria Rom. 3. v. 25. 26.

§. 1. Nonnulli pro fine respectu hominis in hac vita agnoscunt pacem & tranquillitatem conscientia, Et. cap. 32. v. 17. *Fructus justitia erit pax, & cultus justitiæ erit quies & securitas usque in sempiternum ex Rom. 5. v. 1. iustificati fide pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.* Sed si accuratè rem perpendimus, adjuncta & effectus sunt justificationis, *pax & tranquillitas, uti & renovatio Luc. 1. v. 24. Rom. 6. v. 22. Liberati à Peccato habetis fructum vestrum in Sanctificationem, finem verò (non Sanctificationis: sed illius à peccato liberationis, quæ ad formam vel effectum formalem justificationis pertinet) vitam æternam v. 23. Stipendium, enim peccati mors est: donum autem Dei (non stipendium) est vita æterna in Christo Jesu Domino nostro; In Symbolo Apostolico hæc tria sunt invicem connexa. Credere remissionem peccatorum, carnis resurrectionem & vitam æternam, ubi ipsa series articulorum ostendit, remissionem peccatorum dari credentibus propter resurrectionem ad vitam æternam: ac Divus Petrus pronuntiat finem fidei nostræ, quæ coram Deo justificamur, esse vitam æternam I. Epist. 1. v. 9. Causa finalis justificationis nostræ respectu Dei est glorificatio nominis divini Jer. 33. v. 8. *Emendabo illos ab omni iniquitate sua, quæ peccaverunt contra me & parcans omnibus iniquitatibus eorum, quibus peccaverunt contra me, & quibus prevaricati sunt contra me v. 9. Erit mihi in nomen & in gaudium, in laudem, & in gloriam cunctis gentibus terræ, quæ audierint omne bonum quod ego feci eis.* In hac thesi nobiscum consentiunt Pontificiis, sic enim scribit Bellarminus lib. 1. de justificatione c. 2. *Finis justificationis impii est gloria Dei & Christi & salus æterna eorum qui justificantur.* Et Costerus in Enchirid: *Finis s. causa finalis postrema est Dei**

est Dominus Prov. 16. v. 4. Proxima est Salus hominum quia Deus omnes homines vult salvos fieri. I. Tim. II. v. 4. Præjverat jam Synodus Tridentina Sess. 6. cap. 7. Finalis causa justificationis est gloria Dei & Christi, ac vita æterna.

Thesis VII.

Definitur ergo justificatio quod sit actio DEI Patris, Filii & Spiritus Sancti, quâ DEUS hominem sensu peccatorum expavescentem remissis peccatis justum reputat ex mera gratia DEI & misericordia propter Christi Mediatoris ac Redemptoris obedientiam, satisfactionem & meritum fide apprehensum, in gloriosa gratiæ ac justitiæ suæ laudem & hominum salutem.

Hiscæ finem impono huic Disputationi, gratias agens Altissimo pro clementi Spiritus Sancti adjutorio & eundem veneratus supplicat, ut Sacro-Sanctæ Doctrinæ depositum conservet, illa nos confirmet, & contra quasvis Adversariorum molitiones potenter adstruat, quò nomen ejus inter nos sanctificetur, regnum adveniat & voluntas fiat, pro, ut in Cœlis ab Ecclesia Triumphante: sic à nobis in Ecclesia militante. Huic uni ac Benedicto & SOLI Sapienti DEO sit Laus, Honor & GLORIA in omnem, nunquam finiendam seculorum æternitatem. Amen.

Ad præcellendam

DOMINUM
DANIELEM BILDERBEK,
SS. Theol. Cultorem laudatissimum
DE JUSTIFICATIONE
Disputantem

Qui tibi JUSTITIÆ Fons est, qui porta Salutis
Huic merito Studii das pia signa tui,
Et decet & fas est, neque justior altera causa est
Induperatoris quàm celebrare decus.
Cui te sacrabis totum, qui te inseret astris
Vivere qui cœlo post pia fata dabit.

A, VARENIUS,




scientiam bonam, fidem non simulatam haberet
illa Charitas, quæ finem vel summum præ
lus I. Tim. 1. 5.

Thesis VI.

Finis in Iustificacione respectu hominis ul
quisitio. Rom. 6. v. 22. Tit. 3. v. 7. Respectu, DE
25. 26.

§. 1. Nonnulli pro fine respectu homini
pacem & tranquillitatem conscientia, Et. cap. 3
erit pax, & cultus iustitia erit quies & securita
ex Rom. 5. v. 1. iustificati fide pacem habemu
minum nostrum Jesum Christum. Sed si a
mus, adjuncta & effectus sunt iustificacionis,
renovatio Luc. 1. v. 24. Rom. 6. v. 22. Liberati
destrum in Sanctificationem, finem verò (non Sa
â peccato liberationis, quæ ad formam vel ef
ficacionis pertinet) vitam eternam v. 23. Stipen
est: donum autem Dei (non stipendium) est vit
Domino nostro; In Symbolo Apostolico hac
nexa. Credere remissionem peccatorum, carnis r
eternam, ubi ipsa series articulorum ostendit
torum dari credentibus propter resuscitati
nam: ac Divus Petrus pronuntiat finem fide
iustificamur, esse vitam eternam 1. Epist. 1. v. 9
cacionis nostræ respectu Dei est glorificatio n
8. Emendabo illos ab omni iniquitate sua, quæ
parcans omnibus iniquitatibus eorum, quibus pe
quibus prevaricati sunt contra me v. 9. Erunt m
um, in laudem, & in gloriam cunctis gentibus ter
bonum quod ego feci eis. In hac thesi nobiscu
ficiis, sic enim scribit Bellarminus lib. 1. de iul
stificationis impii est gloria Dei & Christi & salu
ficantur. Et Costerus in Enchirid: Finis s. 6



ite emanat
at Apосто
na vita ac
Rom. 3. v. 6
agnoscunt
tus iustitia
mpiternum
m per Do
perpendi
illitas, uti &
tis fructum
is: sed illius
alem iusti
peccati mors
Christo Jese
icem con
vitam æ
em pecca
tam æter
oram Deo
alis iustifi
ni Jer. 33. v.
ontra me &
tra me, &
& in gaudi
erint omne
unt Ponti
2. Finis ju
m qui iusti
ostrema est
Dei